





15

15

16

17

18

19



1723.

14. Kuestner, Abraham: An dignitas Doctoralis filium
a patris potestate liberet? simulque collegia
sua aeterna intimat.
15. Kuestner, Abraham: De protestatione facto contra
varia, quae specialis responsio juridico illustra-
tur . . . simulque collegia sua aeterna intimat.
16. Kuestner, Abrahamus: De obligatione ad carcerem
ex causa debiti in masculo et femina obtinente.
17. Kuenholdus, Fridericus Alexander: De eo, quod iurito
altero facere licet in solutionibus.
18. Kuenholdus, Fridericus Alexander: De statuta naturali
verum publicarum
199. b. c. Mascovius, Jo. Jacobus: De jure circa rem
monasterii in terris circuli Saxoniae superioris
praesentem Saxoniae - Electoralibus. 3 Sept. 1723
i. 1724.

1723.

26^{et} Masconius, Jo. Jacobus: De regali imperialisque

Augustorum Germaniae Augustarumque coronatione

2 Simpl.

21. Menckenus, Ludovicus: Dissertatio juris Communis

et Saxonicæ: De reo quisque herede ex delicto,

corporis afflictivam poenam merente; juxta

mand. reg. d. d. 27 Julii 1719 h. visollen. et ad

illati expensarumque restitutionem obligato.

22. Philippus, Jo. Inestros: De naturali scientiarum

conditionis nexu, limitibus, robore atque defectu.

Libus . . .

23. Rivinus, Andreas Florens: De harmonia juris

civilis cum naturali aequitate ostensa in doctrina

de quaestionibus per tormenta.

24. Rivinus, Joh. Florens: De pactis dubiis, in quantum
statutis derogent, vel non?

1723.

25. Schubert, Georgius Adelphus: De actore invito ad
agentem provocato.
26. Schubert, Georgius Adelphus: De re integrative
potestatis patris.
27. Schubert, Georgius Adelphus: De rebus facti
absque domini consensu & titulo facta aliena.
hinc. 2 Sampl
28. Schubert, Georgius Adelphus: De venditione
inofficiosa.
29. Schubert, Georgius Adelphus: De fidejussione
pro filio punito matrem contrahente
invalida.

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



5702.

1723, 18.5

DISSERTATIO IVRIS GENTIVM
 DE
 STATV NATVRALI
 RERV M PVBLICARVM

QVAM
 ANNVENTE
 MAGNIFICO JCTORVM LIPSIENSIVM

ORDINE
 SVB PRAESIDIO
 D. FRIDER. ALEXAND. KVNHOLDI,

IVR. NAT. ET GENT. P. P.
 D. XVI. APRIL. M DCC. XXIII.

IN AVDITORIO JCTORVM
 PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
 SVBIICIET

ANDREAS IVLIVS SÖCHTING,
 GVELPHERBYT.

LIPSAE,
 LITERIS IMMANVELIS TITHI.

7-
 1,
 2-
 3-
 4-
 10
 2-
 2-
 2.



DISSEPTATIO IURIS GENTIUM
DE
STATU NATURALI
REPRÆSENTATIONUM
MAGNIFICI ICTORUM LIPSISIVM
ORDINE
SVP. PRAESIDIO
D. FRIDER. ALEXAND. KÄHNHOLDI
IUR. NAT. ET GENT. P. P.
D. VII. APR. MDCC. LXXX.
IN AUDITORIO ICTORUM
PBLICO PRVDIT. ORAM EXAMINI
SUBIICIT
ANDREAS IVIVS SÖCHTING
CARBONIT.
LIPSIÆ
LITTE. IMMUNIVS. TITL.



DE STATV NATVRALI RERVMPVBLICARVM.

§. I.



Ogitanti mihi de statu naturali Rerumpublicarum differere, ante omnia danda est opera, ut illius, in quo Respublicas constitui dico, naturalis status notionem paucis exponam. Neque vero commemorabo varias

Status naturalis.

huius vocis significationes, ex Philosophorum & Theologorum scholis repetendas, ab instituto meo alienas. Icti Romani propius ad rem accedunt, qui naturæ nomine ita utuntur, ut hunc naturalem statum designare videantur. Contra naturam enim constituta ea esse tradunt, quæ non naturalis status sunt, sed adventitii, & ut ita loquar, præternaturalis. vid. L. 4. ff. de I. & I. Atque ut sine ambagibus ad rem perveniam, per statum naturalem intelligo conditionem, in qua homines constituti fuerunt cum ex-

A 2

tra

tra civitatem viverent, & nemo alteri subiectus sed sui quilibet iuris esset, non aliis, quam quas ipsa natura sancivit, Legibus adstrictus. (a)

§. II.

*est status li-
bertatis*

Hic est ille status, quem Libertatis dixit Hobbesius, (b) in quo cuius naturalis facultas datur eius, quod facere libet, nisi si quid vi aut Legibus divinis prohibeatur. Neque enim aut Legem habent aut dominum qui in naturali hoc statu subsistunt, sed expertes imperii & servitutis suo arbitrio vivunt. Ignorant iudicem & poenas nesciunt, felicissimi sane si intra Iuris Naturalis cancellos se contineant, atque sponte sua sine lege fidem rectumque colant.

§. III.

*& aequalita-
tis.*

Neque libertatis tantum sed & aequalitatis hic status est. Facit enim libertas, quae omnibus eadem competit, omnes omnibus aequales. Qui dominum non habent, nec servos habent, & nemini imperant, quibus nemo. Idem ius est omnium in omnia, nemo habet, quod prae reliquis sibi arrogare & iure postulare possit. Si unus ceteros virtute, robore, prudentia, aliis corporis aut animi dotibus antecellat, opinionem, famam, admirationem eae illi sane parere, ius in alios aut prae aliis tribuere non possunt.

§. IV.

(a) Conf. PVF. de O. H. & C. l. 2. c. I. §. 5.

(b) De Civ. c. I.

RERVM PVBLICARVM.

§. IV.

Sed & proprietatem atque rerum dominia status naturalis ignorat. Nam, quamvis inter eos, qui summa libertate & aequalitate fruuntur, possunt esse divisa peculia & res suas quisque sibi habere; magis tamen naturale est communia & indivisa omnibus esse omnia & veluti unum cunctis patrimonium. (c) Nam dominia per divisionem constituuntur, divisio per pacta & conventiones, aut expressas aut tacitas. Quae autem ex pacto oriuntur non mere naturalis status sunt sed adventitii & quodammodo praeternaturalis. Communio igitur proprietatem antecedit, & ad statum absolute naturalem pertinere videtur.

an & communio?

§. V.

Haec idea est & veluti imago status Naturalis. Quem non tantum animo concipere licet, sed & in ultima mundi infantia re vera obtinuisse non improbabile est. Primi sane mortalium nulli imperio Civili subiecti, libertate sua fruebantur, usque dum aucto eorum numero in maiores societates coalescerent. (d) Ab initio enim Respublicas & Civitates non extitisse satis certum est, & sacra docent monumenta omni exceptione maiora. Ergo Patresfamilias illo tempore sui iuris omnino fuerunt, sine Rege, sine lege, inter se aequales. Nullus Dominus, nullus servus, quousque illi in statu naturalis aequalitatis

utrum unquam vere fuerit status naturalis?

(c) IVSTIN. l. 43. cap. 1.

(d) Conf. PVFEND. Einleitung zur Hist. c. 1. §. 1. seqq.

tatis confisterent, qui pacto mutari poterat, & non ita multo post admodum mutatus fuit.

§. VI.

*an communicio
primava?*

Communione quoque rerum inter vetustissimos mortalium viguisse recte, opinor, docuit Grotius, (e) cui frustra interpretes eam ob causam litem moverunt. (f) Humano generi omnium rerum proprietatem & dominium ab initio a Numine Supremo concessum omnem excludere communionem plerique sibi persuadent. Sed his respondit Henniges, qui acquirendi Domini facultatem a Deo datam esse, non ipsum Dominium ab eo in primos homines translatum, monet. Sed fac ipsam statim proprietatem non potestatem solum consequendi domini eos statim divino beneficio accepisse, commune hoc omnium hominum fuit dominium, quod a Communione non nisi nomine differt. Communione positivam PVENDORFIVS (g) & THOMASIVS (h) dicunt, qualis inter eos est, quibus res eadem legata aut donata est, quos omnes illius dominos esse quis neget?

§. VII.

*an in hoc statu
homines poterint
perseverare?*

Atque poterant, nisi fallor, in illo naturali statu, aucto etiam genere, homines persistere, si libertatis

(e) d. I. B. & P. l. 2. c. 2. §. 2.

(f) Vid. D. GRIBNER. disert. de eo quod iustum est circa feras ex custod. dilapf. c. 1. §. 1. ibique alleg.

(g) d. I. N. & G. L. 4. c. 4. §. 5.

(h) Iur. div. L. 2. c. 10. §. 44.

tatis & communionis commoda suo pretio aestimasset, & suo quisque officio probe functus fuisset. Sed cum libertas illa in licentiam indomitam degeneraret, & improbi ea ad quaevis facinora perpetranda abuterentur, aemulatio, avaritia, ignavia & reliqua vitia non parum illum statum turbarent; in communionis aequalitatis & libertatis locum proprietates, dominia, servitutes successerunt. Et, si conicere licet, communionem primam, ob infitam omnibus res suas sibi habendi cupiditatem, occupavit proprietates, atque ante imperia condita iam invaluit. Ita distincta fuerunt dominia,

Communemque prius ceu lumina solis & auras

Cautus humum longo signavit limite mensor.

Mox libertatem invasit servitus, ut cum Ulpiano loquar, (i) tandem etiam discretas gentes, regna condita, ut status, quem commemoravi, naturalis vix vestigium relinqueretur.

§. VIII.

Sed qui inter privatos fere profusus sublatus est, is inter Gentes liberas etiamnum conspicitur, si eas inter se compares, quatenus nullo communi vinculo continentur. Cum enim quaevis Civitas unius veluti personae rationem habeat, quot civitates sive Respublicas tot veluti morales personas cernimus. Loquor autem de populis alieno imperio non subiectis. Hos enim, qui subditorum nomine veniunt, aliis iuribus uti manifestum est. Illi contra, qui sui iuris

Rerumpublicarum inter se status naturalis est.

(i) l. 4. ff. d. I. & I.

iuris sunt, in naturali veluti libertate constituti, eodem inter se iure utuntur, quo primos olim patresfamilias, ante civitates conditas, usos esse dixi. Adeo, quem singuli amiserunt Cives, eum Civitates retinent naturalem statum, de quo paucis disserere constitutum mihi est, amplissimo sane, nec inutili argumento, cum omnis Gentium Iuris Principia ab his potissimum originibus repetenda sint.

§. IX.

*Comparatio
Rerumpubl. &
patrumfam.
in Stat. Nat.*

Est igitur inter conditionem patrumfam., qui olim segreges vivebant, & statum Gentium, quaedam, eademque non exigua similitudo. Nec male censuerunt, qui Civitatem magnam familiam esse dixerunt, familiam parvam Civitatem. Sed haec comparatio non huius loci est, qui non de interna structura Civitatum nunc ago, sed Rerumpublicarum inter se habitum considero. Videor igitur mihi quot gentes, tot veluti homines aut patresfamilias conspiciere, eosque in naturali statu, id est aequales inter se & liberos, sui iuris, nullo vinculo, nisi legum divinarum, colligatos.

§. X.

*Status Natur.
Rerumpubl.
est status liber-
tatis.*

Ac de libertate quidem Gentium nulla esse potest dubitatio. Quis enim nescit, Gentes non habere superiorem, nisi Deum, non legem, nisi divinam. Neque enim uni Genti in alteram imperium competit, imo ne omnibus quidem in unam. Singulae Civitates res suas separatim habent, neque Ius est ceteris rationes ab iis postulare. Nulla enim Gentium est

est inter se Respublica, ut plures unum obligare possint, aut ex suffragiorum numero negotia conficiantur. (k)

§. XI.

Ergo nec iudicem habent nec iudicium. Sed sibi iudices in sua causa sunt, aliarum iudicium non agnoscunt. Postulat enim hoc libertas & aequalitas, quae in statu naturali obtinet. Itaque quamvis una Respublica forte laeius fines imperii sui extendat, viribus prae ceteris polleat, & longe inter eas potentia, opibus, Civium numero & virtute emineat, nullum tamen ei in infirmiores imperium competit, non magis quam inter privatos in statu naturali constitutos fortiori in debiliorem. Neque enim virum haec, sed iurium est aequalitas, & qui cetera omnia dispares sunt, quod ad Iura status & libertatis naturalis attinet, pares & aequales haberi debent.

§. XII.

Iam dixi Gentes Iura & Leges non habere, scilicet praeter Leges status naturalis. Gentium ius intelligo, cuius divina est auctoritas, Legislator Deus. Consequens est, ut nec poena cadat in gentes, humana puto ab hominibus infligenda. Poena enim Legem, Iudicem, Imperantem supponit, quibus omnes Civitates carent, Deum solum Iudicem & scele-
rum vindicem habent. Itaque quod nonnulli fingunt poenale, aut si mavis vindicativum bellum, quod ob

B

crimi-

(k) Conf. GVNDLING. Hobbes. Stat. Nat. in corp. Iur. Civ. def. §. 25.

*bellum, quod
penale dici-
tur, non habet
justam cau-
sam.*

crimina atrocia suscipi a quacunque Republica contra quamcunque possit, iustam causam non habet. Nam quae vindicandi & puniendi sibi arbitrium sumit, imperium sibi in alteram arrogat Civitas, adeoque in Iura Gentium, & status naturalis, peccat; nisi delicta cum alterius laesione & iniuria coniuncta sint, hanc enim illae, ad quos pertinet, Civitates propulsare & avertere, vindicare etiam illatam, sine dubio possunt. Sane quod iubente Deo, supremo gentium omnium Iudice, populo Iudaico potestas fuerit, gentes alias ob admitta flagitia coercendi, ad exemplum trahi nequit, sed ad id genus actionum pertinet, quae non nisi divino mandato accedente suscipi possunt. Leges Gentium nemini puniendi Ius, nemini vindicandi licentiam, nisi quae privatam iniuriam persequitur, concedunt.

§. XIII.

*Status Rerum-
publ. Natur.
non est status
communiois.*

Sed in eo tamen status Gentium a naturali statu insigniter recedit, quod bonorum communio, quam in statu naturali locum habuisse diximus, non obtineat inter Gentes. Quas dominium & proprietatem habere terrarum, quibus imperant, quis negaverit? Cessat enim inter gentes illa naturae regula, in statu naturali olim stans certa, quae singulis ad omnia potestatem concedit. (1) Fateor & agnosco discrimen atque iam antea professus sum inter eos, qui in naturali statu sunt, qui summa libertate & aequalitate fruun-

(1) Conf. BYNCKERSHOECK. dissert. de dom. mar. c. I.

fruantur, patrimonia posse esse divisa. (m) Sed & ante imperia condita iam in communionis locum proprietatem successisse dixi, (n) ut non mirum sit vix superesse primitivae communionis inter gentes vestigia.

§. XIV.

Neque enim possum sententiae accedere ICti *Dissens. Bynckershoeck.* Clarissimi, (o) qui gentes adhuc veluti in communione constitutas esse, neque, nisi cum quibus foedus ipsis sit, earum dominia ac iura in provincias, quibus imperant, agnoscere contendit. Fuit illa olim multarum gentium, sed barbara Philosophia, quae, ut fecundius solum possiderent, sedes saepe mutabant, & in terras dudum ab aliis occupatas, incolis priscis migrare iussis, suas colonias immittere non dubitabant. Neque satis scio an haec, Pomponii & Proculi fuerit sententia, quorum ille, si cum gente aliqua nec amicitiam nec hospitium, nec foedus habeamus, quod ex nostro ad eos pervenit, illorum fieri, idemque, si ab illis ad nos aliquid perveniat, obtinere scribit, (p) hic ad foederatorum iura singularia refert, quod libertatem suam & dominium rerum suarum aequè apud nos atque apud se retineant, & nobis eadem apud illos contingant. (q) Sed, uti recte monuit

B 2

Gro-

(m) Supr. §. 4.

(n) §. 7.

(o) BYNCKERSHOECK. d. dom. mar. c. i.

(p) l. 5. §. 2. ff. de captiv. & postlin.

(q) l. 7. ff. cod.

Grotius, mutandae sedis amorem causam bello non praebere posse, (r) ita frustra sollicitari gentium dominia persuasus sum, quorum etiam si rationes demonstrare fatis non possent, iura tamen, ex diuturna possessione quaesita, salva & integra esse Gentium & status naturalis Leges postularent.

§. XV.

*De origine
proprietatis
inter gentes.
ea non est ex
divisione uni-
versali repe-
tenda.*

Largior tamen lubenter, perdifficilem & perobscuram esse de origine dominiorum inter Gentes disquisitionem. Transeant, quae de divisione terrarum orbis inter primos Adami aut Noachi liberos finguntur fabulae, ne quidem colorem veritatis prae se ferentes. (s) Occupationem sane plerique causam dominiorum constituunt, & leges Romanae inter naturales acquirendi modos primo loco collocant. (t) Et recte quidem, si lex Civilis occupandi ea, quae nullius sunt, licentiam facit, aut inter eos, qui pares sunt, conventio & pactum, vel tacitus saltem consensus accedat. (u) Absque hoc si fuerit occupatio, possessionem quidem tribuit, dominium praestare non potest. (x) Dicitur enim occupatio rei nullius animo sibi habendi facta apprehensio, & quae

(r) d. I. B. & P. l. 2. c. 22. §. 8.

(s) Conf. THOMAS. Iurisprud. div. l. 2. c. 10. §. 114. seq. ed. noviss.

(t) §. 12. I. d. R. D.

(u) Vid. omnino THOMAS. fundam. L. 2. c. 10. §. 7. & 8. & Ej. Iurisprud. divin. l. 2. c. 10. §. 101.

(x) diff. TITIVS ad PVFEND. Observ. 291.

quae nullius sunt, naturali ratione occupanti cedere dicuntur. (y) Ea vero, quae communia sunt, occupatione non acquiruntur, siquidem apprehensio rei communis ius reliquorum tollere non potest. (z)

§. XVI.

Multo minus inter modos acquirendi originarios ac naturales referri potest voluntas sive conatus habendi rerum proprietatem. Hoc enim admissio animo solo vel universum orbem facile unus degluterit. (a) Nec sufficit, si voluntas habendi alio actu declaretur. (b) Haec enim declaratio neque ex re communi, neque ex ea, quae nullius est, propriam efficere potest. Pone gentem aliquam voluntatem & animum Oceano imperandi, aut terras quas-cunque incognitas sibi vindicandi, manifesto declarare; quid quaeso proderit illi dominium imaginarium, & irrita ac innanis voluntatis significatio. (c)

§. XVII.

Caveas etiam ne ex sola possessione dominiorum repetas originem. Quamvis enim, quod recte monet Henniges, res iam occupatae non nisi per iniuriam

B 3

iuriam

(y) §. 12. I. de R. D.

(z) Dn. GRIBNER. Pr. Jurispr. nat. L. I. c. 4. §. 3. n. 4. & diff. de eo quod iustum est circ. fer. ex Custod. dilapf. c. 1. §. 2. Dissent. TITIVS observ. PVFEND. 237. n. 2. & diff. d. domin. in reb. occup. ultr. possess. durante.

(a) BYNCKERSHOECK. de domin. mar. c. 1. p. 5.

(b) dissent. TITIVS observ. 292.

(c) Conf. Dn. GRIBN. c. differt. c. 1. §. 4.

iuriam eripi possint occupanti, cum in pari causa melior possidentis sit conditio; ex eo tamen minus recte inferitur, possessorem in re possessa verum habere dominium. (d) Quam consecutionem falsam esse exinde constat, quod, simulac possessionem dereliquerit occupans, aliis integrum sit, rem vacuam occupare. (e)

§. XVIII.

Unde igitur domini inter gentes origines re-
petemus, si sine pacto nec possessio, nec occupatio,
nec habendi desiderium, huic rei sufficit. Expedire
has difficultates conatus est Illustris PVFENDORFIVS,
qui in eo tempore, quo intra paucos genus mortalium
subsisteret, placuisse putat, ut illa cuiusque fierent, que
quis deprehendisset, ipsis tamen corporibus, ex quibus
res provenirent, in medio positis. Postea, multiplicatis
hominibus, ipsa quoque corpora inter homines divisa,
& cuilibet portionem suam assignatam, hac addita
conventionem, ut, que in prima divisione in medio forent
relicta, deinceps eius fierent, qui primus eadem
sibi asseruisset. (f) Sed haec omnia pro figmentis habet
Bynckershœckius, (g) neque ostendi potest unquam
huiusmodi universale pactum a toto genere humano
initum fuisse. Imo ne tacitam quidem conventionem
ab initio intervenisse praesumi potest, quam-

Sententia Pufendorfi de pacto universali expenditur.

(d) Add. GROTI. L. 2. c. 2. §. 2.

(e) Vid. Dn. GRIBN. c. diff. c. 1. §. 2.

(f) PVFEND. de Off. L. I. c. 12. §. 2.

(g) Dissert. d. dom. mar. p. 3.

quamvis facile concedam postea consensum tacitum possessioni aut occupationi accessisse, atque effecisse ut in verum & perfectum dominium illa transfret.

§. XIX.

Quamvis igitur obscura sint proprietatis & domini inter gentes initia, non tamen plane ideo negare ea, & ad primaevam illas communionem reuocare, puto necesse est. Nimirum quod monui, dominia iam ante civitates introducta fuerunt, initaque sine dubio de duratura ultra possessionem proprietate conventiones, si non cum omnibus, cum proximis tamen quibusvis, a quibus in primis metuenda erat turbatio. (h) Accessit deinceps diuturna possessio & reliquorum derelictio, qui, dum ipsi quoque sibi suas vindicarent proprietates, non obscure in aliorum dominia consensum praestiterunt. Ita pedetentim invaluit proprietatis, quam in Civitatibus leges, & inter ipsas Civitates foedera, plenissime postea confirmarunt. Quamvis inter eas quoque gentes, quas inter nulla condita sunt foedera, nunc quoque domini temere in dubium vocare & sollicitare, tanti temporis possessio, tacita omnium populorum consensione approbata, non permittit. (i) Quod si quis ratione eorum, qui nullo pacto coniuncti sunt, nullo foedere unquam uniti, verum & proprie sic dictum dominium prorsus admittere nolit, is mihi concedet tamen, possessionem etiam inter gentes possidenti id praesta-

Dominiorum non una causa.

Initia ex partibus singulorum,

ex foederibus

Et possessione longissimi temporis.

Ius possessionis inter gentes quid praestet?

(h) D. GRIBN. Princip. I. N. I. c. 6. §. 6.

(i) Id. l. 3. c. 3. §. 5.

praestare, ut, quamdiu quis possidet, turbari & expelli nequeat, adeoque, quae iam dudum possessae fuerunt terrae, ab alia gente occupari non debere.

§. XX.

Supersunt inter gentes quaedam communionis vestigia.

Haec de originibus dominiorum hactenus & prolixius forte, quam necesse erat, disputavimus, ut constaret utrum status naturalis, in quo Gentes constitutas esse diximus, dominia admittat, an excludat, & qua ratione a communione prima gentes discesserint. Non negaverim tamen superesse adhuc quaedam illius vestigia, & quid impedit quo minus Oceanum vastum referamus inter res communes? Iam dudum obrinuit apud plerosque cordatiores sententia, Oceani partes dominiis Gentium adiectas quidem esse, totum autem & immensum mare nullum agnoscere dominium. Cui sententiae ipse eo facilius subscribo, quo certius est, ob vastitatem, nec occupari posse neque possideri. Atque hac ratione admitti potest illa Anglorum Reginae Elisabethae sententia: *maris & aëris usum omnibus esse communem, nec ius in Oceanum populo aut privato cuiquam posse competere, cum nec usus publici ratio occupationem permittat*, quam refert Cambdenus ad an. 1550, licet postea ipsi Angli, sub Iacobo cum Batavis disceptantes, in alia omnia iverint, & (k) pro dominio maris acerrime depugnaverint. Sed & sunt forte alia, quae communia nunc quoque omnibus gentibus esse dici queant. Quo si quis terras, quae nondum occupa-

tae

(k) Conf. VLR. HVBEB. digt. L. 44. c. 13. 14. 15. 16.

tae sunt, & incolis destituuntur, referre velit, non equidem valde repugnaverim, (l) quamvis mutuo consensu gentium fere obtinuerit, vt hae occupantibus relinquuntur.

§. XXI.

Sed satis de his. Videamus iam quae rationes sint status illius gentium naturalis, ac illud imprimis expendemus, sitne Status hic omnium Rerumpublicarum inter se hostilis per se, & omnibus Civitatibus adversus omnes natura, non indictum, bellum. Platoni hanc sententiam tribuit PVENDORFIVS, (m) HOBBSIVS certe eam magno adstruxit apparatu. Is enim non tantum statum naturalem, in quo gentes constitui diximus, bellum esse scribit, & bellum quidem omnium adversus omnes; (n) sed & ipse hanc ad Gentes philosophiam applicavit. Gentium, inquit, status naturalis est, id est hostilis. Neque, si pugnare cessent, pax est, sed respiratio, in qua hostis alter alterius motum vultumque observat, & securitatem suam non ex pactis sed ex viribus & consiliis adversarii aestimat. (o) Et alio loco: (p) Reges & personae summam habentes potestatem
C
omni

Status Rerumpubl. Nat. an per se sit status belli?

affirmat Hobbes.

(l) D. GRIBNER. l. 3. c. 3. §. 6.

(m) De I. N. & G. L. 2. c. 2. §. 5. add. Huber. digr. P. 2. L. I. c. 8. §. II.

(n) De Civ. c. 1. §. 2.

(o) D. civ. c. 13. §. 7. c. 5. §. 2.

(p) Leviath. c. 13. p. 65.

*Huberus,**& alii.*

omni tempore hostes inter se sunt, semper enim alii aliis suspecti sunt, more stantes gladiatorio armis oculisque intentis, id est castellis & praefidiis ad confinia collocatis, & exploratoribus in hostico latitantibus; quae est conditio belli. Neque multum ab ea sententia abest HVBERVVS, qui HOBBSIO concedit, statum naturalem esse bellum omnium contra omnes. (q) Hoc enim admisso sequitur, Gentium quoque, quæ in naturali statu sunt, eandem conditionem esse, ut alios omitam, qui statum naturalem HOBBSII defendendum susceperunt.

§. XXII.

Improbis hominum in naturali statu facile erumpit in turbas & contentiones.

Videamus nunc quo iure quave iniuria illa tradantur. Ac primum quidem statum naturalem privatorum considerabimus, antequam ad Gentium inter se conditionem respiciamus. Facile itaque concedo, sine Lege, sine Principe, sine metu poenae, paucos facturos esse, quae decet. Ipsa libertas expers imperii frena laxat improbis ruendi in quaevis scelera, quorum sibi, cessantibus iudiciis, impunitatem promittunt. Atque haec si non prima, una certe ex praecipuis causis fuit, cur, qui primi in Civitates coierunt, libertatis iactura vitae securitatem redimere non dubitarent. Plena est omnis aetatis historia calamitatum, quae in Civitatibus effrenis excitavit

(q) Digr. l. c. §. 3. 4. d. Iur. Civ. l. I. S. I. c. 3. n. 8. seq. Id. Evnom. p. 13.

citavit licentia, ubi semel Legum ac Iudicium reverentiam excussit. Audiamus HVBERVM Frisiae suae tristia fata enarrantem. (r) *Celebris, ait, illa Gentis nostrae libertas, qua post tempora Caroli Magni nulum Principem domesticum, aut alienigenam passâ erat, tandem in resolutam omnium ordinum licentiam, sine potestate coactiva, degeneravit. Qua conditione per integrum fere seculum vixere maiores nostri in verissimo statu belli omnium contra omnes, scissa quidem gente tota in duas factiones summas; verum ita, ut sine sedibus certis gladii per omnem provinciam micarent; sibi quisque nobilis & paterfamilias, viribus suis fidens, clientibus amicisque in consilium adscitis, auctor & dux pugnae, arcibus contra arces, turribus contra turre, in eadem vicinia ubique erectis atque munitis, plerumque bellum sine legibus belli, nec modo caedes & sanguis in rabie praeliorum, sed etiam in captos saevitia, carceres inhumani, deformia supplicia, & quicquid furor civilis effertis odiis indulget, sine sine modoque exercitum. Nec ullus e tantis malis exitus inveniri potuit quam unius imperio, quod fatigatior pars & mox tota patria quaesivit in Ducibus Saxoniae Alberto atque Georgio. Neque haec Frisia sola, sed omnes fere gentes, olim expertae sunt laxioris libertatis incommoda. Quid prisca Germaniae nostrae memorem tempora? quid interregni turbulentum statum, ubi rapinis, caedibus,*

C 2

latro-

(r) Digress. Part. II, L. I. c. 8. §. 3. & d. Iur. Civ. L. I. S. I. c. 3.
ii. 7.

latrocinii ita omnia implebantur, ut nulla fere his sceleribus inesse infamia, & publica quasi auctoritate permiffa esse viderentur. Quis ergo neget Libertatem naturalem graviffimis urgeri incommodis, & largam diffidiis, rixis, contentionibus causam praeberet.

§. XXIII.

*Non tamen
ideo status na-
turalis bellum
omnium ad-
versus omnes
dici potest.*

Atque hoc dare Hobbefio & Hobbefianis non poffum, statum naturalem effe bellum omnium contra omnes. Nec omnes poffunt nocere, nec omnes volunt. Nulla unquam adeo ferrea fuit aetas, ut non nifi improbos & fceleratos generaret. Fuere bonis mixti mali, & inter malos, quoque non omnes adeo improbi, ut femper in turbas & caedes prorumperent. Alios timor in officio retinet, alios mollities & voluptatis ftudium a magnis facinoribus arceret. Qui vero omnes laceffant, & cum nemine amicitiam colant, pauciffimi funt, tantum abeft, ut omnes omnium hoftes cenferi poffint. Omnem fidem fuperant, quae de mutua laedendi voluntate, & omnium in omnes bello fingit Hobbef. (s) Rectius Ill. THOMASIVS: *status naturalis, accurate loquendo, nec belli nec pacis status eft, fed confufum chaos ex utroque, plus tamen participans de ftatu belli quam de ftatu pacis.* (t) Taceo hominum haec vitia effe non ftatus, & poffe omnino in naturali etiam ftatu bene agi inter bonos, licet

(s) De Civ. c. I.

(t) Fund. I. N. I. c. 3. § 55.

licet, quod lubenter largior, pauci sint qui virtutis amore & sine pœnae formidine suo officio fungantur.

§. XXIV.

Iam ad gentes haec & Rerumpublicarum naturalem statum transferamus. Eum igitur per se hostilem, & omnes omnium hostes esse, Hobbesius minime persuadet. Imo ipse, alio loco (u) sibi contrarius, concedit, nunquam fuisse tempus, quo unusquisque uniuscuiusque hostis esset, quod sane non dari poterat ab eo, qui fundamentum Iuris omnium in omnia in mutua laedendi voluntate collocat, Reges & personas summam potestatem habentes omni tempore inter se hostes existere existimat. Nulla fuit unquam tam barbara gens, quae semper bella & cum omnibus, non indicta, gereret. Nulla quae non socios & amicos haberet, nulla quae non aliquando & cum quibusdam pacem coleret. Si quae fuerunt, quae contra omnes gentes, & contra proximas quasque, sine causa moverunt arma, non omnibus tamen eundem animum fuisse dici potest. Imo hoc si asserueris, solves & rumpes omnia Gentium & Rerumpublicarum vincula: nulla bella iniusta erunt, imo nulla etiam finiendi bella, nisi cum internectione hostis, ratio.

Ergo nec status Gentium inter se mere hostilis est.

§. XXV.

Atque fere adducor ut credam, haec ab HOB-
C 3 BESIO *Hobbes. exag- geravit rem,*

(u) Leviath. c. 13. §. antepeault.

*ut hypothesi
suae inservi-
ret.*

BESIO non ferio, sed per speciosam exaggerationem propofita fuisse. Constitutum ei erat Anglos, quos libertatis nimia studia ad civilia & atrocissima bella converterant, ad pacem, & quaerendam sub Principis imperio salutem, revocare. Huic hypothesi ut inserviret, commemoravit status naturalis pericula, sed ita, ut oratorum more, adderet interdum aliquid, & gravia satis incommoda graviora etiam dicendo redderet. Hoc enim omnium adversus omnes bellum, si de singulis accipias, & verbis inhaereas, adeo horridum est & inconcinnum, ut ne probabilitatis quidem speciem habeat.

§. XXVI.

*Non omnes
gentes omnium
hostes.*

Nam primum, quos locorum distantia seingit, amicorum loco potius quam hostium censendi sunt, (x) &, si etiam nec amicos nec hostes esse dederim, non omnes omnium hostes esse concedas necesse est. Dein Civitates etiam inter se ad pacem colendam ipso Gentium iure obligari, ne ipse quidem puto negaverit Hobbesius. Imo ipsa utilitatis mutuae ratio postulat, ut ne gens genti sine causa damnum inferat, sed ea quoque, quae ianoxiae utilitatis sunt, officia lubenter praestet. (y) Sed instas negligi haec Gentium inter se officia, & vix expectari posse. Non repugnabo saepius ita fieri & a plerisque. Id tamen mihi

(x) PVFEND. d. I. N. & G. L. 2. §. 8.

(y) Id. de Offic. L. I. c. 8.

mihî vicissim dari postulo esse tamen & fuisse omni tempore Principes & Respublicas, qui pacem coluerint, fœdera sancte servaverint, amicitiae leges & Gentium iura non violaverint. Quod satis est ad illam, de omnium adversus omnes bello, hypothefin destruendam.

§. XXVII.

Licitum tamen est se suaque tueri gentibus adversus aliorum iniurias, simili ratione, qua in statu naturali singulis vim iniustam vi repellere permittitur, imo, cum ipsa naturalis libertas & impunitas, cum virium & potentiae fiducia coniuncta, multos ad arma aliis sine causa inferenda excitet, integrum quoque, cuique est in pace bellum cogitare, & ad arcendam iniuriam, innoxia munimenta circumponere: aditum praestruere hostilia molientibus, arma virosque comparare, socios sibi adiungere, aliorum conatus diligenter observare. (z)

Quid Gentibus liceat ex legibus status naturalis?

§. XXVIII.

Nequaquam vero eo se extendit haec providentia, ut, quae Hobbesianorum dogmatum sequela est, ob metum crescentis potentiae arma sumere, opprimere, invadere alterum, iure liceat. Neque enim gentium societas tam iniquis & tam indomitis necessitatibus circumscripta est, ut idcirco prior iniuriam

An liceat ob metum crescentis potentiae bellum inferre?

una

(z) PVFEND. d. off. L. I. c. 7, §. II, HOBBS. d. Civ. c. 13.

una alteri inferre debeat, ne, ni fecerit, ipsa patiatur.

(a) Atque, quamvis facile largiar, prudentiae regulas exposcere, ut, qui debiliores sunt, adversus vicini valentioris vim sibi mature prospiciant; recte tamen monuit Grotius ad vim inferendam non sufficere potentiam nocendi, nisi de animo etiam constet, ea certitudine, quae in morali materia locum habet.

(b) Quod autem quidam subiiciunt, nunquam exstitisse valde potentem, qui non ceteros deprefferit infirmiores, nec ullum magnae potentiae exemplum superetere, quae non longius, quam par erat, sit vagata, id nec sine exceptione admitti potest, nec huic rei sufficit.

§. XXIX.

Non licet sine causa, nec ob solam hostilis status praesumptionem.

Multo minus rectae rationis praecepta, & Gentium Iura admittunt, ut Princeps omnes sibi hostes esse credat, & adversus quoscunque alios bellum sine causa suscipiat. Frustra sunt, qui omnes male erga se animatos esse suspicantur. Sunt sane, quod dixi, etiam inter gentes quae rerum suarum satagant, pacem lubenter colant, ab armis abstineant, quod omnis temporis memoriae nos docent. Inprimis, qui infirmiores, non facile alios laceffent; injustum igitur fuerit eos ideo opprimere, quod nocere aliquando possint. Iam inter illas gentes, quae foederibus

(a) vid. HERTIVM ad Pufend. I. N. & G. L. 2. c. 2. §. 8. lit. c.

(b) l. 2. c. 22. §. 8. add. PVFEND. de I. N. & G. L. 2. c. V. §. 6.

bus iunguntur, quis belli esse statum somniaverit. Sit licet pax non satis fida semper, non tamen bellum est. Violata fuerunt aliquando foedera, num ideo nulla unquam servata esse, & ne servari quidem debere contendes?

§. XXX.

Quae cum ipsa Gentium Iura exigant, & inter barbaras etiam nationes observari debeant, quis negit Christianis inprimis Principibus sequenda esse. Et sunt tamen, qui inter hos quoque HOBBIANAE, de bello omnium aduersus omnes, Philosophiae locum relinquunt. Equidem, si religionis quam profitemur, praecipua sequeremur, pleraque cessarent bella, bellorumque causa deficerent. Sed & Christianos bella, & sine iusta causa etiam gerere, homines esse, affectibus duci, quis ausit inficiari. Id tamen persuaderi mihi non patior, omnibus & singulis eam esse mentem, ut nullos sibi amicos, omnes hostes esse existiment, ut semper bella, nunquam pacem cogitent, & sibi in omnes omnia licere credant.

§. XXXI.

Quamuis autem, ut eo redeam unde diuertirana, ob solum metum genti gentem aggredi non liceat: non dubito tamen quin cuius integrum sit genti, quae ab alia opprimitur, manus praestare auxilia-
trices. Quae quidem superflua videri poterat cautio, cum propriae conservationis studium plerosque

*Integrum est
genti oppressis
iniuria ferre
auxilium.*

D

com-

commoueat, vt vicino contra potentioris insultus succurrant. Verum iam, non quid expediat, sed quid iustum sit, expendimus. Neque tamen muto sententiam. Sane privatis, etiam in Naturali statu permixtum est aduersus vim iniustam alios tueri. Quid ni ergo Gentibus eandem potestatem competere agnoscamus. Imo omni avo liberum crediderunt sibi Principes succurrere oppressis, opem ferre afflictis, infirmos in tutelam & clientelam suam accipere. Si modo de causae constet iustitia, neque color hic alius minus iustis causis, quod saepe factum fuit, praevertatur.

§. XXXII.

Idea status naturalis inter gentes.

Habes status naturalis gentium rationes. Vt paucis omnia complectar, si omnes Iuris Gentium praecipua sequerentur, poterat omnino huic statui sua tranquillitas constare, sed hoc cum expectare non liceat: non est quidem hic status hostilis plane & mere bellicus, est tamen periculis expositus, metu belli & incommodis nunquam fere caret. Atque uti olim habendi cupiditas & imperandi libido naturalem paucorum hominum statum non parum perturbavit; ita nunc quoque ambitio, & desiderium fines ulterius proferendi, calamitatum & bellorum frequens causa est. Quae licet non efficiant ut omnes omnium hostes censeferi possint, non parum tamen laxant vincula, quibus Gentes sibimet ex divina lege obstringuntur, & gravissimis magnam partem humani generis incommodis omni fere tempore affligunt.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Sed, nullumne adversus illa pericula, quae ex naturali illo statu Gentium oriuntur, remedium suppedit? patresfamilias olim pertaesi molestiarum, quibus naturalis aequalitas & libertas premitur, in civitatem coierunt, atque, quod sibi praestare non poterant, remedium in Republica invenerunt, securum obsequium libertati minus tuta praferentes. Sunt igitur qui Rebuspl. ad tranquillitatem perpetuam consequendam, eundem proponunt portum, in quem singuli olim se receperunt, & Monarchiam universalem, omnium bellorum & calamitatum finem, ostendunt. Sed si vel maxime idoneum hoc esse fingas remedium, quis pervadebit Principibus ut eo utantur. Et ex iis, qui potentia valent, nullus forte erit qui hoc beneficium ipse aliis praestare, quam a reliquis malit accipere. Alia hic ratio Civitatum est, alia singulorum. Hi in Republica invenerunt quod quaerebant, auxilium contra improbos, securitatem, pacem, tranquillitatem & cetera subditorum commoda; Illae contra, etiamsi perpetuis bellorum calamitatibus essent expositae, tamen non plus amittere se posse credent, quam, admissio illo Monarchiae universalis remedio, perditurae erant. Ipse HOBBIUS, qui conditionem gentium bellum perpetuum, & quidem omnium adversus omnes, credidisse existimatur, concedit tamen non tantam ex hoc statu sequi miseriam, quanta privatorum hominum plenam libertatem secutura fuerat. (c)

De remediis adversus incommoda huius status naturalis.

id frustra ab universali Monarchia expectari.

D 2

reme-

(c) LEVIATH. c. 13. p. 65.

remedio non erit opus. Ego vero ne idoneum id quidem tantae rei esse puto. Tanta enim mole laboraret Monarchia universalis, ut ipsa sua magnitudine corrueret, & antequam coalesceret, dilaberetur. Succederent in locum eorum, quae Gentium naturalem libertatem comitantur, malorum, graviora etiam, seditiones, bella civilia, aliae calamitates. Itaque, qui hanc commendant medelam, nullam commendant.

§. XXXIV.

*Consilium
Grotii*

*de conventu
Gentium Chri-
stianarum.*

Forte feliciter procedet, quod GROTIUS proposuit consilium, & quo evitari posse credidit, ne in bella controversiae Gentium, imprimis Christianarum, erumperent. Vtile inquit, imo quodammodo necessarium esset, conventus quosdam haberi Christianarum potestatum, ubi per eos, quorum res non interest, aliorum controversiae finiantur, imo & rationes ineanur cogendi partes, ut aequis legibus pacem accipiant. (d) Sed vereor ne hoc quoque remedium in eorum numerum referendum sit, quae fingi quidem & optari, expectari certe aut sperari non possunt. Nam primo, quis coget huiusmodi omnium Christianarum Potestatum Concilium? Quis diem & locum conventus statuet? & directoris, consensu omnium, accipiet partes. Credo vel solas de sedendi & suffragandi ordine contentiones sufficere ad haec comitia, antequam incipiant, dissolvenda. Iam illae inter Christianas gentes de religione controversiae, & de im-

(d) GROTIUS. de I. B. & P. L. 2. c. 23. §. 8. in fin.

periorum finibus contentiones, vix permittunt, ut fructum ex his conventionibus promittere liceat. Quinam vero erunt illi, quorum non interest, qui sine partium studio controversias finiant. Quæ erit ratio cogendi partes ad æquas pacis condiciones. Quis definiet quæ æqua sint, quæ iniqua. Ipsa illa coactio nonne augebit malum, cui tollendo non est idonea, & ex leviori flamma maius excitabit incendium. Itaque huius quoque, nisi me fallunt omnia, medela aut exiguus aut nullus erit usus.

§. XXXV.

Unum igitur, quod non tollendis, levandis tamen huius status incommodis puto sufficiat, a pactis & foederibus Rerump. remedium est expectandum. In primis de mutua defensione conventiones sæpius impediunt, ne contentiones gentium in bella erumpant. Nam, qui singulos invadere non dubitabat, facilius æquas condiciones admittit, si cum pluribus sibi rem futuram intelligit. Sed loquor de foederibus adversus vim iniustam. Nam quæ de æquilibrio inter gentes conservando a nonnullis traduntur, nescio an huic rei sufficiant. Etenim, ob solam potentiam, & fortuita sæpe incrementa virium, adigere aliquem ut de iure suo decedat, vix iustam causam habet. Et quis erit dein iusti æquilibrii arbiter? Neque potest esse ea inter Respublicas æqualitas, ut non una ante alias emineat. Ipsæ illæ, quæ studium omnia ad æquilibrio redigendi profitentur, gentes, nonne, dum arbitrium sibi in alias sumunt, id agunt, ut ipsæ aut æquare ceteras,

Pacta & foedera non tollunt, minuunt tamen St. Gent. Nat. incommoda.

aut superare etiam possint. Itaque, si iuris & aequitatis habeatur ratio, poterunt huiusmodi conventiones remedium afferre malo, sin utilitatis tantum propriae, vix certam & stabilem quietem praestabunt.

§. XXXVI.

*De unione
plurium civi-
tatum.*

Novimus etiam respublicas nonnullas, quae suis se viribus adversus vim vicinorum tueri non poterant, in unum corpus & systema plurium civitatum coaluisse. Qui libertatis quidem suae non iacturam, aliquam tamen interdum imminutionem, patiuntur, sed non tantam, quae cum emolumentis, ex hac conjunctione oriundis, comparari possit. Exempla supeditat Historia antiqua & nova. (e) Sed singularum rationes expendere non est huius loci.

§. XXXVII.

*De statu Prin-
cipum Imp.
naturali.*

Constitueram Coronidis loco de Principum Imperii statu con nihil adicere. Possitne ille etiam, certa ratione, dici naturalis, sive inter se illi, sive cum aliis Principibus, qui extra Imperium sunt, comparentur. Quousque liberarum Gentium fruuntur commodis? & quatenus eis communis utilitatis causa renunciaverint. Sintne a periculis, quibus naturalis libertas exposita est, immunes? Et quae ipsis adversus ea remedia competant? Sed video tam late hoc patere argumentum, ut in transitu non possit tractari. Neque nunc, dum ad finem huius dissertationis propero, novam ordiri vacat. Sunt & causae aliae, quare alios malim audire de hac re dicentes sententiam, quam quae ipse cogito expromere. Itaque nihil addo.

(e) vid. BOEHMER. Ius P. Univ. P. Spec. L. I. c. 3. §. 27

ULB Halle

3


003 600 424



Sb.







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue
 Cyan
 Green
 Yellow
 Red
 Magenta
 White
 3/Color
 Black

1723, 18

IO IVRIS GENTIVM
 DE
 V NATVRALI
 PVBLICARVM
 QVAM
 NNVENTE
 JCTORVM LIPSIENSIVM
 ORDINE
 PRAESIDIO
ALEXAND. KVNHOLDI,
 T. ET GENT. P. P.
 APRIL. MDCC. XXIII.
 TORIO JCTORVM
 RVDITORVM EXAMINI
 VBIICIET
 IVLIVS SÖCHTING,
 GVELPHERBYT.
 LIPSAE,
 SIMMANVELIS TITII.

